

etiam ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo solemnitate, & quævis alia servanda, & adimplenda servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a jure, vel factio, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissima, & totalis læsionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa, etiam quantumvis iusta, rationabili, & privilegiata, etiam tali, que ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superius expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, apertionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concessio, quempiam uti, seu se jurare in iudicio, vel extra posse, neque ipsas præsentibus sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari.

§.9. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Nuncios, ac alios quavis auctoritate, & potestate fungentes in quavis causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definituri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.10. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis Generalibus editis, ac quatenus opus sit, regula nostra de non tollendo jure quaesito, necnon dicti suppressi Ordinis, illiusque Conventuum, ac Ecclesiarum illi quomodolibet unitarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus, Fratribus, et personis quibuslibet, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogationum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitius clausulis, et decretis in genere, vel in specie, aut aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et

Et ita ab omnibus iudicari debeat.

Obstantia tollit

singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.11. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique habeatur, que ipsi præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die 2. Decemb. 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCCLXXI.

Indulgentia Plenaria in Forma Jubilæi ad Divinam opem implorandam in Alma Urbe concessa.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilectis filiis Clero, & Populo Romano, ac aliis Christianis salutem, & apostolicam benedictionem.

Usque jam pridem in Universo fere Orbe Christiano gravibus bellorum procellis, tranquillitatem publicis, privatique precibus a Deo postulare non desistimus, sed voti compotes hæcenus fieri non potuimus, immo gliscente in dies armorum tempestate verendum est, ne graviora Divinæ justitiæ assiduis Populorum peccatis irritatæ flagella præsentibus calamitates subsequantur. Diffidere tamen non debemus de immensa Domini clementia, cujus miserationes super omnia opera ejus, visitat enim in virga ferrea iniquitates hominum, sed misericordiæ suæ non obliviscitur. Ideo corde contrito, & humiliato opem ejus iterum imploramus, eumque cum fiducia deprecemur, ut statuere dignetur procellam, in auram, unde optatæ pacis serenitas Christianis effulgeat. Hoc autem ut fructuosius, & majori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiæ Romanæ omnium matris, & magistra more ejusdem Ecclesiæ Theasorus, quorum dispensatores a Domino constituti sumus proferre, & erogare decrevimus.

§.1. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, meritis minime suffragantibus, contulit, universis, & singulis Christianis

Transumptis adhiberi mandat.

Datum die 2. Decemb. 1643. An. XXI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Exordium.

Indulgentia plenaria opera hic præscripta peragantibus conceditur.

fidelibus in Alma Urbe degentibus, qui tribus solemnibus Processionibus diebus infra proximam, vel immediate sequentem hebdomadam a dilecto filio nostro in eadem Urbe Vicario, in spiritualibus generali, vel ejus Vicegerente designandis, uni videlicet ad Ecclesiam Sancti Joannis Lateranensis, & alteri ad Principis Apostolorum, ac tertie ad S. Mariæ Majoris Basilicas per universum Clerum Romanum agendis, sive earum alteri interfuerint, vel qui in altera ex dictis hebdomadis Ecclesiæ, & Basilicæ prædictas, seu earum alteram semel saltem devote visitaverint ibique pias ad Deum preces pro pace, universali Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & S. M. E. exaltatione, præsentibusque ejus necessitatibus effuderint, ac confessi, & Sacra Communionem infra eandem duas hebdomadas recepti fuerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§.2. Iis præterea, qui quarta, & sexta Feriis, ac Sabbato alterius ex hebdomadis præfatis jejunaverint, licentiam concedimus, & facultatem damus, ut possint sibi ad hunc effectum eligere quemcumque Presbyterum confessorium, tam secularè, quam cuiusvis Ordinis regularem ex approbatis a præd. Vicario generali, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ etiam in Literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliis per quascumque nostras, aut Rom. Pont. Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quorum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis in foro conscientie, & hac vice tantum, non tamen a crimine hæresis absolvere, & liberare valeat. Et insuper vota quæcumque, religionis, & castitatis exceptis, in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

§.3. Regularibus autem personis utriusque sexus in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, & regularibus in carcere existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequeverint, ut confessorius, quem, ut supra, elegerint prædicta omnia, & singula, vel eorum aliqua, in alia pietatis opera commutare possit pariter concedimus, & indulgemus.

§.4. Non intendimus autem per præsentibus super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate,

seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientie.

§.5. Neque etiam easdem præsentibus iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel aliquo Prælate, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliis in sententiis, & censuris incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi infra tempus, ut supra præfixum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint ullo modo suffragari posse, aut debere.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolviendi in certis tunc expressis casibus, ita Rom. Pontifici pro tempore existentis reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, ac quoruncumque Ordinum, Congregationum, sive Institutuum regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Ordinibus, & Congregationibus, atque institutis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam eorum traditam, pro servata habentes, hac vice specialiter nominatim, & expresse, ad effectum præsentium derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die 12. Decembris 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

Sequitur ejusdem Indulgentiæ innovatio pro duabus proximis Hebdomadis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilectis filiis Clero, & Populo Romano, ac aliis Christianis salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. Nuper, ut Christiani hujus Almae Urbis nostræ ad implorandam communibus precibus opem Divinam in præsentibus Reipublicæ Christianæ calamitatibus magis incitarentur, Nos per nostras in simili forma Brevis die 12. Decembris proxime præteriti expeditas Literas, universis, et singulis Christianis in d. Urbe degentibus, qui tribus solemnibus Processionibus diebus infra tunc proximam, vel immediate sequentem hebdomadam a dilecto filio nostro in eadem Urbe

1643. nem irregularitatis.

Neque ad absolutionem in excommunicatione.

Contrariorum derogatio.

Datum die 12. Decemb. 1643. An. XXI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Referat Literas superius emanatas sub die 12. Dec. anni proxime præteriti.

Facultas eligendi sibi Confessarium, qui a casibus reservatis etc. absolvat.

Regulares, alii que impediri quo pacto hujusmodi indulgentiæ in confessione valeant.

Quæ facultas Confessoriorum non extenditur ad dispensationem.

be Vicario in spiritualibus generali, seu ejus Vicegerente designandis, ut videlicet ad Ecclesiam Sancti Joannis Lateranen., et alteri ad Principis Apostolorum, ac tertia ad Sanctae Mariae Majoris Basilicas per universum Clerum Romanum agendis, sive earum alteri interfuissent, vel qui in altera ex dictis hebdomadis Ecclesias, & Basilicas praedictas, seu earum alteram semel saltem devote visitavissent, ibique pias ad Deum preces pro pace universali, Christianorum Principum concordia, haeresium extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, praesentibusque ejus necessitatibus effudissent, ac confessi, et Sacrae Communione infra eandem duas hebdomadas refecti fuissent plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concessimus. His praeterea qui quarta, & sexta feriis, ac Sabbato alterius ex hebdomadis praefatis jejunavissent licentiam concessimus, & facultatem dedimus, ut possent sibi ad hunc effectum eligere quemcumque Presbyterum confessarium, tam secularem, quam cujusvis Ordinis regularem ex approbatis a praedicto Vicario generali, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, censuris a jure, vel ab homine, quavis causa latis, seu inflatis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam Locorum Ordinariorum, sive Nobis, & Sedi Apostolicae, etiam in Literis die Coenae Domini legi solitis contentis, & aliis per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis in foro conscientiae, & ea vice tantum, (non tamen a crimine haeresis,) absolvere, & liberare valerent; Et insuper vota quaecumque religionis, & castitatis exceptis in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in praedictis omnibus casibus poenitentiae salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis, Regularibus autem personis utriusque sexus in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, & regularibus in carcere existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut confessarius, quem ut supra elegissent praedicta omnia, & singula, vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare possent, pariter concessimus, & indulgimus. Nolumus autem per praedictas nostras Literas super aliqua irregularitate, publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae. Neque etiam eandem Literas iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel aliquo

Prelato, seu Judice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuissent, nisi infra tempus, ut supra praefixum satisfecissent, aut cum Partibus concordavissent ullo modo suffragari posse, aut debere, & alias prout in praefatis nostris Literis, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis uberius continetur.

§.2. Nunc vero durantibus eisdem calamitatibus preces in eadem Urbe iterari cupientes universis Christianis praefatis, qui infra proximam, vel immediate sequentem hebdomadam Ecclesiam, & Basilicas praefatas, seu earum alteram semel saltem visitaverint, ibique, ut praemittitur oraverint, ac confessi, & Sacrae Communione, ut praefertur, refecti fuerint, denuo plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Ag iis, qui quarta, & sexta feriis, ac Sabbato alterius ex duabus hebdomadis praefatis jejunaverint licentiam, & facultatem supra praedictam, servata aliis in omnibus, & per omnia Literarum nostrarum praedictarum forma, & juxta illarum tenorem, & contentiam, ac cum omnibus, & singulis limitationibus, exceptionibus, declarationibusque contentis in illis, & non aliis, aliter, nec alio modo concedimus, & impertimur.

§.3. Non obstantibus omnibus illis, quae in eisdem Literis volumus non obsistere, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die 13. Februarii 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXXII.

Mandat Nuncio Apostolico Coloniae, ut ad Civitatem Monasterien. se conferat, pacisque tractatibus adsit.

Venerabili fratri Episcopo Neritonens. nostro, & Apostolicae Sedis ad Trajectum Rheni, & inferioris Germaniae partes Nuncio.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

CUM, sicut accepimus, Civitas Monasterien. in Vestphalia, quo conveniatur pro tractanda inter charissimos filios nostros Ferdinandum Regem Romanorum in Imperatorem electum, ac utrumque Regem, aliosque Principes Christianos pace, destinata sit, & ideo dilectus filius noster Martinus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Ginettus nuncupatus, quem alias ad eisdem Ferdinandum Regem in Imperatorem electum, ac utrumque Regem, necnon ad alios Reges, & dilectos filios nobiles viros, Respublicas, aliosque Principes majoris Potentiae, eorumque Regna,

Nunc eandem Indulgentiam innovat, & extendit ad alias duas hebdomadas.

Contrariis derogat.

Datum die 13. Februarii 1644. An. XXI.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Regna, Provincias, Dominia, & Loca eis adjacencia, caeteraque, ad quae eundem Martinum Cardinalem declinare contigit, nostrum, & Apostolicae Sedis de late Legatum constitimus, ut tractatibus pacis hujusmodi, nostro nomine, & seu ut mediator interveniret ad praedictam Civitatem Monasterien., ut tractatibus dictae pacis, ut praefertur, interveniat, propediem profecturus sit; Nos, ut interim, donec ipse Martinus Cardinalis illuc appulerit, non desit, qui tractatibus hujusmodi nostro nomine interveniat, pro ingenti, quatenus stabilienda pacis praedictae desiderio, providere volentes, ac de Fratemitatis tuae fide, prudentia, & in gravibus rebus agendis dexteritate plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, eidem Fratemitati tuae per praesentes committimus, & mandamus, ut ad praedictam Civitatem Monasterien. te conferas, ac tractatibus pacis praedictae nostro nomine, & seu ut mediator intervenias, teque interponas donec, & quousque dictus Martinus Cardinalis Legatus, ad eandem Civitatem appulerit. Nos enim tibi ad praemissa necessarium, & quomodolibet opportunam facultatem earundem tenore praesentium concedimus, & impertimur. In contrarium facien. non obstantibus quibuscumque.

Datum die 23. Decemb. 1644. An. XXI.
Datum Romae apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die 23. Decembris 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXXIII.

Prohibitio extrahendi libros ex Bibliothecis, & Paramenta ex Sacristiis Monasterii Regularium Provinciae Granatensis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupatorum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

IN iis, quae ad tuenda, conservandaque bona, & jura Religiosorum Ordinum, quorumcumque pertinere noscuntur, auctoritatem nostram libenter interponimus, prout in Domino conspiciamus salubriter expedire.

§.1. Cum itaque, sicut dilecti filii Fratres Ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum nuncupati Provinciae Granatensis Nobis nuper exponi fecerunt, in Conventibus eorumdem Fratrum dictae Provinciae Sacristiae, & Bibliothecae extant, quarum ornamenta, & libri partim ex eleemosynis personarum secularium empta, partim a diversis benefactoribus; & piis particularibus personis donata fuerunt, ut illis mediantibus iidem Fratres Recollecti commode literis operam dare, & divino cultui decenter vacare possint; per dilectos autem filios Ministros Generales, Provin-

ciales, & alios Superiores Ordinis, & Provinciae hujusmodi e dictis Sacristiis, & Bibliothecis nonnulli libri, & ornamenta hujusmodi sub eo, quod illa non necessaria, aut duplicata sint, aut sub quibusvis aliis coloribus, & pretextibus extrahantur, aut permutanda, vel aliis Conventibus Fratrum Observantium, vel Monialium ejusdem Ordinis danda, seu vendenda, exindeque personis secularibus, quae dictis Conventibus, seu illorum Sacristiis, & Bibliothecis libros, & ornamenta hujusmodi dederunt, non leve scandalum, ipsis vero Fratribus Recollectis, & eorum Conventibus notabile praedictum inferatur.

§.2. Idcirco Nos librorum, & ornamentorum Sacristiarum, & Bibliothecarum Conventuum dictae Provinciae conservationi, & mantentioni, quantum Nobis ex alto conceditur, prospectum esse cupientes, eosdemque Fratres exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Congregationis super negotiis dicti Ordinis deputata voto.

§.3. Quod de cetero nullus, sive Generalis, sive Provincialis Minister, nullus Visitator, nec alius quivis Superior dicti Ordinis, & Provinciae hujusmodi e Sacristiis, & Bibliothecis Conventuum eorumdem Fratrum Recollectorum dictae Provinciae, ulla paramenta, & ornamenta ecclesiastica, vasa, vascula, patenas, calices, & quaecumque aliam sacram, & prophanam supellectilem, necnon quavis libros, quinterna, monumenta, & folia, sive impressa, sive manuscripta, tam haecenus donata, empta, seu alias quomodolibet assignata, quam de cetero donanda, emenda, & assignanda respective amovere, asportare, tollere, distrahere, cuiquam commodare, seu amoveri, asportari, tolli, distrahi, aut commodari facere, vel consulere, aut ut illa amoveantur, asportentur, tollantur, distrahantur, aut commodentur permittere, ullatenus unquam possit, audeat, seu praesumat, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae ipso facto, absque alia declaratione per contravenientes incurrendae, a qua non nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constitutus absolvi possit, necnon privationis vocis activae, & passivae poenis, tenore praesentium interdicimus, & prohibemus.

§.4. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis eorum Officialibus, sive Vicariis in spiritualibus generalibus, necnon Prioribus, ac Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, ac

Prohibet prout in Rub.

Executores deputat.

Bene-

DCCLXXIV.

Nonnulla statuuntur circa Concessionem agrorum ad Ecclesias spectantium in Regno Corsica in Emphyteusim perpetuam, & reductionem decimarum novarium.

Ex Regest. in Secret. E. v. o.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. **N**uper pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Ducis, & Gubernatorum Reipublice Januen. Nobis expositum fuit, in Regno Corsica, quod Respublica predicta possidet, spectare ad Ecclesias, Beneficia, & varia Loca Pia, multa terrena haecenus inculta in diversis partibus, ut plurimum divisa, ac paludosa, vepribusque, & senticetis aspera, ex quibus nulla Ecclesiis, Beneficiis, & Locis Piiis hujusmodi ab immemorabili tempore provenit utilitas, quae si personis laicis illarum partium in Emphyteusim perpetua concederentur, successu temporis ad culturam cum Ecclesiis, Beneficiis, & Locorum Piorum praefatorum evidenti utilitate redigerentur; Ac insuper eodem in Regno multa Terrena ad personas seculares pertinentia existere, quae ad culturam redigi, publicae utilitatis interesset, si ab Ecclesiis Decimae novarium non perirentur, vel saltem ipsae Decimae novarium ad modicam summam reducerentur.

Motiva Constitutionis faciendae.

§.2. Nobis propterea eorundem Ducis, ac Gubernatorum nomine fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune providere, acut infra, indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Necnon supplicatio porrecta Pontifici.

§.3. Nos igitur, qui Ecclesiarum, Beneficiorum, Locorumque Piorum quorumlibet commodis, & utilitati juxta creditum Nobis a Domino apostolicae servitutis officium jugiter invigilamus, Ducis, Gubernatorumque praedictorum votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ex voto particularis Congregationis nonnullorum Romanae Curiae Praetorum ad examinandum negotium hujusmodi a Nobis deputata, quoad bona inculta praefata ad Ecclesias, Beneficia, & Loca Pia in dicto Regno, ut praefertur, spectantia, quorum valor in proprietate centum scuta monetae Romanae non excedet, dumtaxat respectu cujuslibet Ecclesiae, Beneficii, vel Loci Pii praedictorum, ut Episcopi, & Ordinarii Locorum praefati Regni in suis respective Dicesibus, respectu bonorum ad eorum Ecclesias spectantium, possint per semetipsos, quatenus tamen tendat in eviden-

Pont. facultate tribuiti Ordinariis bona ecclesiastica in Emphyteusim concedendi.

dentem Ecclesiarum suarum utilitatem, super quo eorum conscientiam oneramus dare; respectu vero aliarum Ecclesiarum, Beneficiorum, & Locorum Piorum, constituto eis, quod in evidentem utilitatem distarum Ecclesiarum, & Beneficiorum, ac Locorum Piorum concessionem faciendae cessurae sint, possint hujusmodi Ecclesiarum, & Beneficiorum, Locorumque Piorum Rectoribus, sive Administratoribus concedere licentiam dandi illa bona praedictum valorem centum scutorum monetae Romanae in proprietate non excedentia respectu cujuslibet Ecclesiae, Beneficii, vel Loci Pii praedictorum in Emphyteusim perpetuam sub annuo Canone conveniendo, etiam ad extraneos transitoriam, ita tamen, ut in publicis, desuper vigore licentiae hujusmodi, consiciendis instrumentis apponatur pactum de renovando Emphyteusim hujusmodi singulis viginti novem annis cum aliqua recognitione sub pena caducitatis, ac cum hoc, ut in omnibus casibus alienationum, & respective renovationum, in quibus de jure solvitur laudemium, illud non excedat duplum quinquagesimae, habitae ratione valoris bonorum de presenti juxta aestimationem a perito per eosdem Episcopos, seu Ordinarios locorum respective deputando, antequam ad hujusmodi concessionem deveniatur, faciendam, & in actis ad perpetuam memoriam redigendam, etiamsi postmodum ob subsequendam meliorationem valor esset longe major, necnon, ut in casu absentiae a Regno praefato, vel minoritatis Emphyteutae non incuratur caducitas ob non solutionem canonis, sed tamen licitum sit Ecclesiis, & aliis Locis Piiis hujusmodi agere ad solutionem Canonum via exequutiva coram Ordinariis Locorum.

Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, seu ultra triennium non locandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ecclesiarum, aliorumque Locorum Piorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 19. Januarii 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

Datum die 19. Januarii 1644. An. XXI.

DCCLXXV.

Dotatio Ecclesiae Porphyrinae, in partibus Infidelium in sex millibus scutis monetae Romanae.

Ex Regest. in Secret. E. v. o.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Super universas Orbis Ecclesias eo disponentes qui cunctis imperat, & cui obediunt omnia meritis licet imparibus constituti, ad ea, per quae Ecclesiae praedictae praesertim Cathedrales, quae sub Infidelium potestate, ac propterea communibus redditibus privatae sunt, competenti dote, pro congrua earum Praesulium sustentatione, communiti valeant, ut illis praeficiendi eo alacrius jugum Domini, & Ecclesiarum hujusmodi curam, & regimen suscipiant, cum se etiam temporalibus ad id auxiliis suffultos senserint libenter intendimus, & Christianissimum facultates suas ad hoc benigne erogantium vota pii Patris affectu promovemus.

Exordium.

§.1. Cum itaque, sicut accepimus quaedam pia persona nomine dilecti filii Clementis del Pezzo Presbyteri Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupat. pro singulari suo erga res Sacras cultumque divinum affectu e propriis suis bonis, & facultatibus sex millia scuta monetae Romanae in tot locis montis non vacabilis Camerae Apostolicae talis secundae erectionis nuncupat. investita, vel investienda dederint, & assignaverint, ut alicui ex Ecclesiis Cathedralibus sub Infidelium potestate existentibus arbitrio nostro designanda pro Ecclesiae hujusmodi dote, & congrua illius Praesulis sustentatione per Nos perpetuo applicentur, & approprientur.

Quidem Presbyter Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum sex millia scuta assignavit pro dotanda aliqua ex Ecclesiis in Infidelium partibus existentibus.

§.2. Nos piam earundem personarum liberalitatem plurimum in Domino commendantes, ipsosque specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, &

Quam summam Pontifex assignat Ecclesiae Porphyrinae, & Iustitiae Episcopali.

F f f deque

Contrariis derogat.

Transumptis credi mandat.

Datum die 23. Decemb. 1643. An. XXI.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 23. Dec. 1643. Pontificatus nostri Anno XXI.

Decimarum minuendi ratio est trium pro centenario.

Et non aliter ab omnibus Judicari vult.

Derogat contrariis.

deque apostolicæ potestatis plenitudine sex millia scuta hujusmodi in tot locis. Montis prædicti investita, seu investienda, & ut præfertur, donata, & assignata Ecclesiæ Episcopali Porphyriæ. in partibus Infidelium ad præsens Pastoralis solatio destituta pro illius dote, & pro tempore futuri Episcopi Porphyriæ sustentatione, itaut liceat ipsi Episcopo dictorum locorum Montis prædicti fructus, redditus, & proventus, aliæque emolumenta quæcumque, quomodolibet provenientia percipere, exigere, & levare, ac in suos usus, & utilitatem convertere, nullius licentia desuper requisita, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo applicamus, & appropriamus, ejusdemque Ecclesiæ Porphyriæ. liberam provisionem Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus nostris perpetuo reservamus.

§.3. Decernentes præsentibus literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ita, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & desiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Congregationis prædictæ, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die 16. Febr. 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

Datum die 16. Febr. 1644. An. XXI.

Claufulas app. ponit. obstantia tollit.

Altare privilegiatum pro omnibus, & singulis Conventibus Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ Sancti Francisci in Regno Hiberniæ existentibus.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Omnia salutis paternæ charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animæ Domini Nostri Jesu Christi, ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, & illis adjunctæ ex Purgatorii poenis ad æternam salutem per Dei misericordiam perducere valeant.

§.1. Volentes igitur omnes, & singulas Ecclesias Provinciæ Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Strictioris Observantiæ nuncupata, in Hibernia existentibus, in quibus nullum aliud Altare privilegiatum reperitur concessum, & in earum qualibet sit Altare Majus hoc speciali dono illustrandum, dummodo in quolibet earum Missa celebretur, auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quancumque Sacerdos aliquis secularis, sive cujusvis Ordinis Regularis Missam Defunctorum in die Commemorationis Defunctorum, & singulis diebus infra illius Octavam, ac secunda feria cujuslibet hebdomadæ pro anima cujuscumque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebretur, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii Indulgentiam consequatur, itaut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, & Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a Purgatorii poenis liberetur, concedimus, & indulgemus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, præsentibus ad triginta annos tantum valituris.

§.2. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Anno Piscatoris, die 17. Februarii 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

Procurium.

Concedit prout in Rubrica.

Transumptis credi mandat.

Datum die 17. Febr. 1644. An. XXI.

Confir-

Ex Regest. in Secret. Brno.

Confirmantur statuta nonnulla edita pro regulari observantiâ Fratrum Ordinis Carmelitarum Provinciæ Narbonensis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Nonnulla Decreta circa Regularem Observantiâ Fratrum Carmelitarum ab eisdem Fratribus pro Provinciâ Narbonensi edita.

Et a Card. Ginnetto ejusdem Ordinis Prorectore approbata.

Referuntur hujusmodi statuta.

§.1. CUM, sicut aliis Nobis per tunc in humanis agentem Albertum, Massarium Priorem Generalem Fratrum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo expositum fuit, nonnullæ Ordinationes aliæ pro Provinciâ Narbonensi Fratrum dicti Ordinis editæ, & a dilecto filio nostro Martio S. Angeli in Foro Piscium Diacono Cardinalis Ginnetto nuncupato dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Prorectore, propriis eorum subscriptionibus approbate fuerint tenoris subsequentis, videlicet.

§.2. Martius Ginnetus Misericordie Divina S. Angeli in Foro Piscium S. R. E. Diaconus Cardinalis, Sanctissimi Domini Nostri Vicarius Generalis, Romanæque Curia, ejusque districtus Judex Ordinarius, ac totius Ordinis Carmelitanæ Provinciæ Prorector R. P. Coelestino a S. Ignatio Commissario Generali Provinciæ Narbone, cæterisque strictioris observantiæ RR. Patribus salutem in Domino. Nos totius Ordinis Carmelitarum protectioni intendentes existimavimus de ratione dictæ protectionis nostræ Nobis meliori dicti Ordinis statui stabilendo incumbendum esse, & regulari illius tuendæ, & promovendæ observantiæ studendum. Quare cum Nobis propositum fuerit vos majoris perfectionis fervore strictiorem vivendi rationem desiderasse, & ad illam opere exequentiam quædam specialiora statuta, veluti media ad illam necessariam a Reverendissimo Vicario Generali Vestro, Nobis desiderantibus, concessisse, ut quæ ea sint majoris apud Nos ponderis, valoris, & executionis, nostram humiliter exposulaveritis approbationem, ac confirmationem. Nos piis, & devotis precibus vestris annuentes concessionem nostram prosequentibus hic ordinatim contextis, & examinatum damus. Et primo approbamus, & confirmamus facultatem, & respective præceptum a præfato Vicario Generali vobis prædictis Patribus factam, videlicet profitendi, & observandi Constitutiones, seu statuta moderna a Reverendissimo Theodoro Straçio Generali facta, & a Domino nostro Urbano PP. VIII. approbata, & confirmata. Secundo approbamus, & confirmamus concessionem a prædicto Generali factam ipsismet vobis strictioris Observantiæ professoribus trium Conventuum pro præfati, Cabilonis, scilicet, Semurii, & Divionis, in quibus dictas Constitutiones, seu statuta libere profiteri valeatis. Tertio approbamus, & confirmamus ipsam dicti Generalis declarationem, qua declaratur, vos, qui dictas

Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

Constitutiones, seu statuta professi fueritis a quorumlibet aliarum Constitutionum Ordinis obligatione absolutos esse. Ita tamen, ut ab earumdem Reformatorum Constitutionum, seu statutorum observantiâ, nec discedere, nec ad aliam Congregationem, nisi de speciali suæ Sanctitatis licentia transire possitis, prout in literis Sanctissimi Domini nostri Urbani VIII. in forma Brevis 18. Januarii Anni 1636. datis statuitur. Quarto te præfatum Patrem Coelestinum Commissarium Generalem a dicto Generali pro restauranda, tuenda, & promovenda reformatione in præfatis tribus Conventibus introducta, aut introducenda institutum, & creatum usque ad triennium auctoritate nostra confirmamus, & approbamus etiam facultatem tibi concessam assumendi in Socios, seu Consiliarios duos tibi benevolos ejusdem observantiæ professores, qui cum Prioribus dictæ observantiæ in fine triennii alios ejusdem quoque reformationis pro Commissario, & Consiliariis de novo nominandis possint proponere, & præsentare ipsi Generali, aut illius Successoribus. Quinto sequentem ordinationem confirmamus, qua dictus Generalis statuit, prout in patentibus illius die 16. Junii Anni 1642. datis patet, quod pro bona prædictæ reformationis administratione nullius in prædictis Conventibus de novo reformatos, aut alios similiter de sua, aut sui Commissarii licentia reformatos, ad prædictarum Constitutionum, seu statutorum professionem possint admitti, nisi præfati Commissarii Generalis auctoritate, vel aliorum Commissariorum pro tempore existentium, ac Consiliariorum consensu. Item, quod nullus Provincialis, nec alius præter dictum Commissarium valeat aliquem religiosum modernæ observantiæ professum a prædictis Conventibus stricte reformatis in alios transferre, aut in præfatos Conventus reformatos quemquam mittere. Sexto confirmamus quod Novitiatus prædictæ Provinciæ erigatur in uno prædictorum Conventuum reformatorum pro arbitrio dicti Commissarii Generalis, ut ibi, & non alibi Novitii prædictæ Provinciæ in Religionis observantiâ melius educantur, & ut arctius fratres dictorum Conventuum reformatorum præfato Commissario subiciantur, possint ab ipso pro suscipiendis ordinibus sacris literæ dimissoria concedi, si demque ad studiorum cursus admitti. Septimo approbamus, & confirmamus, quod prædictarum Constitutionum, seu statutorum introductio non poterit admitti, nisi de Conventu in Conventum succellive, & de triennio in triennium, prout expediens fuerit, & ut bene videbitur dicto Commissario Generali. Item, quod nullus Religiosus professus ad dictarum Constitutionum professionem possit admitti, nisi facta probatione ad sex menses, in peculiari statuto Novitiatu sub Magistris spiritualibus a Commissario deputatis, a qua tamen probatione, & novitiatu dispensari volumus eos, qui sunt sexagenaria

Fifz

nariz